DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

REBVS PATHEMATVM IN SPECIE GAVDII IN CORPVS HVMANVM EFFICACIAM MODERANTIBVS

QVAM

RECTORE ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMO SERENISSIMO DVCE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE REL.

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS

A. D. XXV. FEBRVARII CIↃIↃCCLXXXII.


PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

JOANNES GOTHFRIDVS KLEEFELD

GEDANENSIS.

JENAE LITTERIS MAVKIANIS.



PROOEMIVM.

Cum pro maiorum inſtituto ſingulis gradum Doctoris ambientibus iſthoc officium impoſitum ſit, ut de materia quadam ad rem medicam ſpectante diſſerant, dubius, quam potiſſimum eligam, atque difficultates plurimas tyroni obſtantes expertus, tandem *de gaudii in corpus humanum efficacia rebusque pathemata moderantibus* ſcribere volui. Ego vero minime ignoro, pergravem et

perquam obſcuram doctrinam eſſe, quae in motibus animi verſatur, et viros ingenii acutiſſimi eidem indefeſſam iam tribuiſſe diligentiam, ideoque iuvenilis audaciae dare ſuſpicionem videor, ſi arduum hoc opus ſuſcipere conor: attamen gratiſſimo pſychologiae ſtudio ductus ſemperque delectatus, transferendi eius in uſum medicum cupiditati reſiſtere non potui. Plura ſane in disquiſitione hac deſiderantur, neque a me materiam abſolutam eſſe contendo, ſed temporis anguſtia atque dira neceſſitas ſcribendi me premunt, ac prohibent, ne quid perfectum et abſolutum (ut in votis meis eſt) exhibeam. Dabo ergo, ut per curtam licet ſupellectilem, aliquod ſpicilegium, ne cui deſit in poſterum ſuam meſſem metendi occaſio.

Hinc brevitatis ſtudioſus in ſectione prima primas lineas duxi *de laetitiae*, in ſpecie *de gaudii natura*, argumenta vero, fontes, obſervata et collecta (ut et in Sect. IIda) addere mihi temporis et ſpatii inopia non permittit.

tit. Gaudium prae ceteris elegi, et in definiendis ipſius partibus, deſcribendisque illius viribus explicare conatus ſum, quomodo pathematum omnium (pro mea ſententia) indoles et ſtadia ſint conſtituenda, quomodo ſingulorum vis vel ſalubris, vel morbifica delineanda.

In ſectione ſecunda *de pathematibus in genere, atque rebus ſingula moderantibus* ago. Haud quidem ignoro, ſectionem hanc priori melius et aptius fuiſſe anteponendam; cum vero gaudio, tanquam exemplo, uti mihi convenit, praemittendam ſtatui gaudii theoriam.

Contentus ſum, ſi res omnes enumero, in quibus pathematum effectus praecipue poſiti ſunt, pro ſcopo meo ſuperfluum eſſe puto, ſi rerum illarum omnium in pathema ipſum aut corporis mutationes exinde productas modum agendi explicare anniterer.

Conſilium, quod in conſcribenda diſſertatione hac ſecutus ſum, eo potiſſimum ſpectat, ut virorum erudito-

rum ſententias inveſtigem, ut monita eorum experiar, iisque in poſterum uti poſſim. Ab his enim arbitris totus pendeo et ſcire cupio, vtrum in theoriam hanc, omnes animi affectus complectentem, conferam ſtudium operamque meam, an quod opportuno tempore in vulgus edere opus placuit, infectum relinquere debeam.

SECTIO

SECTIO I.

De laetitia, in ſpecie de gaudio.

§. I.

Ex pathematibus eligo *laetitiam*, ut eadem in poſterum ad illuſtrandum utar, et in eiusdem natura modoque agendi demonſtrando pathematum omnium indolem et efficaciam doceam. Exempli inſtar laetitia noſtram de pathematologia et pathematum aetiologia comprobet ſententiam.

§. II.

Laetitia (Vergnügen) eſt animi ex cauſa quadam grata ſumta oblectatio.

Cuius generis cauſa illa eſſe poſſit et debeat, ad meam disquiſitionem non ſpectat, et quas leges cauſa ſ. obiectum in laetitia excitanda ſequatur, in pſychologia abunde explicatur. Nequaquam etiam hoc loco inquirendum eſt, quid corpus in pathemata valeat, ſed potius quid ab iisdem viciſſim patiatur. Anima caeterum obiecti ipſius ſenſusque ex eodem iucundi conſcia ſit neceſſe eſt.

§. III.

Laetitiae plures dantur ſpecies, ſummum gradum ex bono inopinato *gaudium* (Freude) nominamus, quod,

 quia

quia effectus producit luculentiſſimos, mox curatius dilucido.

§. IV.

Si gaudium rite examino, *tria* in eodem obſervo *ſladia*, *ſtuporem* (Erſtaunen), *admirationem* (Verwunderung) et *oblectationem* (Vergnügen).

§. V.

Stupor eſt ſtatus animi a re haud exſpectata natus. Animi ſtatus, non motus eſt ideo appellandus, cum nec ſentiendi, nec appetendi vim (§. XXV.) afficiat, ad ſummum ſenſui ingrato ſimile quid contineat, quippe qui omne inexſpectatum ſequitur, ſed conſcientiae et mutati ſenſus cuiusque (Empfindung) expers apparet. A re cognita, quoad genus vero et cauſam incognita, (durante ſtupore) minimeque exſpectata fere producitur. Stuporis ſumma in corpus efficacia eſt, virium et functionum vitalium ſubita ſuppreſſio, ſtatus fere catalepticus, ſaepiusque letalis (cuius gaudium vehemens a pluribus accuſatur,) mala ſaltem ſecundaria. (vid. §. ſequ.)

§. VI.

Stuporis ſummo gradui maximum ineſt robur, et pro indole ſua ſopiendo agit, nervorum ſupprimit ſenſibilitatem et mobilitatem, actiones ſiſtit et reprimit vitales, et inde oriuntur apoplexia nervoſa, ſyncope, ſopor, catalepſis,

lepſis, paralyſis, ſpasmi tonici, tetani, humorum impedita ſe-et excretio et ſtagnatio, extremitatum frigus, et mors ipſa, niſi ſtupor mox ab admiratione excipiatur, aut remediis aptis tollatur.

At vero *ſtuporem* ſaluberrimas proferre poſſe mutationes, perlubenter profiteor. Corpus enim, cum valde eſt irritatum, ſtupore hoc, ut terrore, a pluribus in medicina commendato, uti poſſumus, e. g. in curanda hydrophobia, ſpasmis clonicis, ſine materie ortis, aut, remota illa, perdurantibus, ſiſtendis haemorrhagiis caeterisque profluviis noxiis, in medendis morbis ab irritabilitate et ſenſibilitate oriundis etc.

Perutilem vero remedii huius, ut terroris, fieri vim in medicina, quisque intelliget, ſi modo recordetur, ſtuporem eſſe ſtatum animi ſui haud conſcii, quem, cum modum excedit, eiusque vis ſentiendi et appetendi una cum corporis viribus ſuppreſſa eſt vitalibus, neutro moderari licet.

§. VII.

Admiratio eſt ſtatus animi, ſui quidem et obiecti, quoad genus, non quoad cauſam conſcii, ex perſcrutandi hanc conatu valde perturbati. Animi ſtatum antea ſopitum contrarius nunc maxime irritatus excipere conatur, et ambo certantes quaſi ſummam involvunt perturba-

turbationem. Quae animi vires etiam concitati et perturbati corporis vires ac functiones et augent, et perturbant. Inde nervorum ſenſibilitas conturbata, mobilitas inordinata, ſpasmi clonici, epilepſia, convulſiones, tremor, ſanguinis humorumque omnium circuitus acceleratus et inordinatus, apoplexia ſanguinea et ſeroſa, palpitatio cordis, pulſus intermittens et frequens, haemorrhagiae, extravaſatio, icterus, diarrhoea, omnesque inde morbi fluentes ſecundarii.

Ne autem iniquitatis accuſer, et ſalubres perturbationum harum effectus agnoſco. Valent nimirum irritando in medenda paralyſi et ſenſibilitatis quadam ſuppreſſione, (remota nimirum materia ſupprimente, ſeu rectius, ſi nulla adfuit) in reſolvendis humoribus ſpiſſis, indeque ortis febribus intermittentibus, infarctibus, ſcrophulis, rheumatismo, arthritide, in promovenda ſe- et excretione omnis generis, transſpiratione etc. indeque ortis paralyſi et aliis morbis ſecundariis, in coctione et eiectione materiae morbificae, in provocandis menſtruis ſuppreſſis etc.

§. VIII.

Oblectatio ſeu ſenſus ex obiecto, quoad genus et cauſam cognito, iucundus eſt affectus vis ſentiendi et appetendi (ſ. lat. et ſtr. §. XXV.). Qui animi motus, cui

con-

conſcientia et notiones clarae ſaltem (etſi haud diſtinctae) inſunt, magnas quidem, ſtadiis vero prioribus minores edit effectus, eosque vel ſalubres, vel noxios pro rebus (vid. ſect. ſeq.) moderantibus.

Cum animus oblectatus animo admirante (§. VII.) ſedatior et minus turbatus eſt, eo minus damni infert corpori, et quo certius, longius ac moderatius operatur, eo ſalubriori effectu excellit. Admirationis vires medicatrices (§. praec.) maiori iure quidem oblectationi debentur, neque tamen haec ab incommodorum (§. praec.) ſuſpicione abſolvenda eſt.

§. IX.

Gaudii diſtinguendum cenſeo *robur a vivacitate*. Illud ſtupori eiusque efficaciae convenire videtur, haec admirationi et oblectationi, amborum limites ſunt legibus pſychologiae circumſcripti.

§. X.

Qui gaudii *gradus* (et ratione roboris et vivacitatis) etiam in corpus efficaciae gradus conſtituunt.

§. XI.

Silentio praetermittere caeterum non audeo, ſalutares ſtadiorum poſteriorum effectus tollere noxios priorum, mitigare ſaltem eosdem, et inde ſalubres tantum-

 modo

modo laetitiae, pro mea ſententia, in genere eſſe adſcriptos.

§. XII.

Itaque ſpecies laetitiae, vehementia priorum ſtadiorum deſtitutae et oblectationis benificientia exornatae, nos eo minus iubent noxios timere effectus, et eo certius ſalutem et valetudinem curant.

§. XIII.

Laetitia eſt vel obiecti, vel gradus et ſpatii ratione diverſa.

§. XIV.

Obiectum laetitiae aut eſt praeſens, aut praeteritum, aut futurum.

De oblectatione ex bono *praeſenti* (ſ. gaudio) iam egi.

§. XV.

Laetitia ex bono *praeterito*, quod ſub impetu (ſ. apperceptione animae) gaudium procreavit, animo, niſi penitus illa extinguitur, inhaeret, ſtatusque ei remanet continuus cum voluptate quadam copulatus.

Idea obiecti diſtincta eſt obſcurata, (ſaepe etiam penitus deleta) et ſuavis ſenſus antea diſtinctus (beſtimmte Empfindung) non idem, attamen iucundus manſit, quem iucunditatem (Fröhlichkeit), hilaritatem (Heiterkeit) tranquillitatem (Zufriedenheit) vocamus, quorum diſcrimen,

men, cum effectibus gaudent ſimilibus, non amplius inveſtigabo.

§. XVI.

Quae laetitiae ſpecies, cum gaudii ſtadiis prioribus (ſtupori ac admirationi) nihil ſimile continent, illorum etiam effectibus haud ſimiliter reſpondent; oblectationis vero efficaciae harum reſpondet efficacia.

§. XVII.

Idem valet de *ſpe*, ſeu oblectatione ex *bono futuro* (ſit certum aut vanum) exſpectato. Huc referre mihi liceat felices curationum ſympatheticarum, magneticarum, aliarumque ridendarum laudatos ſucceſſus et exoptatos probatae medendi rationis exitus per fiduciam medici effectos.

§. XVIII.

Ratione *gradus* hae laetitiae ſpecies a gaudio differunt, ideoque etiam illarum ab huius in corpore mutationibus.

§. XIX.

Ratione *ſpatii* etiam diſcrimen inter gaudium et laetitiae ſpecies (§. XV. et XVII.) animadvertimus. Neminem tamen fugit, harum, qua graduum minorum, robur fractum idem eſſe, cum plerumque perdurantes ſunt, mitius quidem, ſed per longius tempus agendo in corpus valere.

§. XX.

Supereſt denique, ut *riſus*, omnes fere laetitiae ſpecies comitantis, mentionem faciam. Meum non eſt inveſtigare, a quonam idearum genere, a diſſimilium coniunctione, an non etc. excitetur riſus, ſed quid in corpus valeat, paucis illuſtrare lubet.

§. XXI.

Ex phyſiologia patet, profundam inſpirationem ridendo excipi a brevi ſaepiusque interrupta exſpiratione.

Itaque diaphragma, thorax eiusque contenta et muſculi abdominis ab hoc riſu concutiuntur, viſcera abdominis conquaſſantur, ſe — et excretiones accelerantur, motus periſtalticus augetur etc.

Porro ſanguinis in ſumme dilatatis pulmonibus copia contenta una cum aeris impedita exſpiratione iuſto longius retinetur, pulmonum vaſa dilatantur, arteriae pulmonum, cavitas cordis dextra, venaeque cavae replentur, ſanguini ex capite defluenti obſtaculum inde obiicitur, facies rubeſcit, lacrymae profluunt etc.

§. XXII.

Qui effectus vel *ſalutares* eveniunt, vel *noxii*, pro rebus pathemata moderantibus. (vid. ſect. II.)

Corpori

Corpori, egenti irritamento, risus, nisi modum excedit, valde prodest; saepius repetitus et pulmonum, et viscerum abdominalium obstructiones solvit, vomicam rumpit et evacuat, pulmonum vasa collapsa benigne dilatat, morbos a suppressa transspiratione natos curat, concoctionem iuvat etc.

Damni, quod corpori risum intulisse plurimi observarunt, varia reperiuntur genera, e. g. vasorum pulmonalium capitisque ruptio, humorum extravasatio, haemoptysis, cordis vasorumque maiorum aneurysmata, narium aliaeque haemorrhagiae, ophthalmia, vertigo, apoplexia sanguinea, surditas, abortus, menstrua nimia, palpitatio cordis, icterus, diarrhoea etc.

SECTIO II.

De pathematibus, eorumque moderaminibus in genere.

§. XXIII.

E fectione I. elucet, quid de gaudii natura eiusque in corpus vi benigna et noxia ftatuam ac vero fectione pofteriori omnia enumerantur, quae animi affectus quoslibet fequatur. Non eft, quod denuo notetur, paucis me verbis tantummodo effe expreffurum, quot quantumve fingula in pathematum, praecipue gaudii, valeant efficaciam.

§. XXIV.

Pathematum vim deduco I. ab ipforum natura, II. ab animae hominis affecti indole III. a corporis ftatu IV. eiusdemque conditione externa. De quibus nunc fpeciatim differendum eft.

I. De pathematum natura.

§. XXV.

Pathema eft ille animi ftatus, quo aut vis fentiendi (Vorftellungs-) aut appetendi (Beftrebungsvermögen f. lat.) vehementer afficitur. In pofteriori vel vim appetendi (f. ftrict. Begehrungs-) vel averfandi (Verabfcheuungsvermögen) complecti per fe patet.

§. XXVI.

§. XXVI.

Pathematum efficacia ut accuratius definiatur, sequentes mihi liceat afferre diſtinctiones.

§. XXVII.

Differunt animi affectus

1. Ratione *vis affectae*, cum aut vim ſentiendi aut appetendi (§. XXV.) afficiunt, illos *paſſivos*, e. g. ſtupor (§. V.), hos *activos*, e. g. ira, oblectatio (§. VIII.), nominamus. Illos accuratius animi *ſtatus* (non motus) appellandos cenſemus.

§. XXVIII.

2. Ratione *ſenſationis*, ſunt vel *ſuaves*, vel *inſuaves*, prout conatui agendi (Thätigkeitstrieb) ſatisfaciant aut reſiſtant, e. g. ſpes, gaudium, amor redditus, timor, ſtupor, moeror etc. *Mixtos*, ſi diligenter examinamus, compoſitos et quidem heterogeneos (§. XXXIII.) invenimus.

§. XXIX.

3. Ratione *effectus* in corpore ſunt animi motus vel *excitantes*, e. g. oblectatio, ira, vel *ſupprimentes*, e. g. ſtupor, terror, moeror. Excitantes vero omnes vires vitales augent, nervos ſtimulant, circuitum humorum promovent, eosque ad peripheriam corporis pellunt, ſecretiones et excretiones accelerant etc. Supprimentes

vero

vero vires vitales debilitant, nervos obſtupefaciunt, ſpasmum vaſorum minimorum efficiunt, humorum circuitum, eorumque ſecretionem et excretionem prohibent etc.

§. XXX.

4. Ratione *roboris* ſunt vel *fortiores*, vel *mitiores*, e. g. ira, terror, gaudium, pudor, ſpes. Corpus igitur vel maiores, vel minores patitur mutationes, easque plus vel minus ſalubres aut noxias.

§. XXXI.

5. Ratione *temporis* ſunt vel *fugaces*, e. g. terror, ſtupor et admiratio (§. V—VII.), vel *perdurantes*, e. g. moeror, oblectatio, animi tranquillitas, eorum ideo *effectus* vel *ſubiti*, vel *tardi*. Perdurantes (i. e. ſaepius repetiti) habitum corporis certius mutant, partium, quas praecipue movent, agilitatem (e. g. nervorum) promovent, et veſtigia iisdem imprimunt, quae in vultu et geſtibus phyſiognomicae et mimicae regulas admittunt.

§. XXXII.

6. Ratione *partium conſtituentium* ſunt vel *puri*, vel *complicati*.

Raro animi affectus purus hominem turbat, plurimi, etſi puri iudicantur, ſi rite eos exploramus, compoſiti ſunt. (e. g. gaudium. §. IV.) Varios enim formant

mant ſtatus, quorum quisque pathematis naturam habet et effectus. Maximi momenti hoc cenſeo in pathematum vi medicatrice aut morbifica recte definienda, et ex eo intelligi mihi videtur ac explicari poſſe, unde pathemata tot tantosque incertos ſibique contrarios edidiſſe effectus plurimi affirmarunt.

§. XXXIII.

Sunt vero *animi affectus complicati* vel *eiusdem*, vel *diverſae indolis*, ſive quod idem eſt, alii produnt naturam *homogeneam*, alii *heterogeneam* reſpectu effectus etc. (§. XXIX.), Si prius eſt, e. g. ſi amor lente conficiens (ſchmachtende Liebe) et voluptaria triſtitia, ſi ira et gaudium vehemens inter ſe coniuncta ſunt, vis ſingulorum in corpus eſt aucta et amplificata: Si poſterius, id eſt eiusdem pathematis varii ſtatus, e. g. gaudii §. IV. aut pathema aliud alii contrarium, perdurantibus adhuc prioris effectibus, e. g. moerore profundo et gaudio exſultante, ſeſe ſaepius tollunt, et ſimul mutationes ex priori ſecutas delent, aut ſaltem minuunt, haud raro etiam perturbando functionem quamlibet terribiles admirandosque in corpore producunt effectus.

§. XXXIV.

7. Sunt denique *animi affectus* vel *tranquilli*, vel *inquieti*. Illi omnes functiones ordinatas, convenientes

quamquam plerumque auctas reddunt, e. g. ſpes, hilaritas (§. XV.), hi (heterogenei) omnes vires et functiones turbant, nervorum effectus ſibi oppugnentes efficiunt, ſpasmos edunt clonicos etc. In his eminent timor, terror, admiratio (§. VII.).

II. De animae hominis affecti indole.

§. XXXV.

Mentis indoles eſt vel adnata, vel acquiſita, utraque vel ſana, vel morboſa. Gradus virium ſpiritualium valde diſtare, easque praeterea educatione, cultu etc. aut excellere, aut non, ſatis pervulgatum eſt. Alii enim ad altiora doctrinae adſcenderunt, alii erroribus, praeiudiciis et ſuperſtitioni obnoxii in infimo loco haerent.

Mens vero aegrota ſibi haud convenienter operatur. Vis enim alia alii antecedendo nocet, et functiones mentis tali modo turbantur.

§. XXXVI.

Status mentis, quisquis ſit, *immediate* corpus mutat. Iuſtam enim idearum combinationem ordinatamque conſecutionem corporis operationes ſequuntur legitimae et ordinatae, mentis vero laeſae functiones etiam corporis functiones laedunt et turbant. *Mediate* vero corpus denuo mutationes patitur ex pathematibus mentis

tis indole moderatis, auctis aut turbatis, easque longe maiores, cum corpus laeſa mente immediate iam mutatum pathemata invadunt eo maiori impetu, turbatumque turbant. E. g. phantaſia incultorum ratione ſemper maior et turbida motus animi admittit fortiores, phantaſia laeſa et morboſa fortiſſimos. Itaque et gaudium ſimplicium et mente aegrotorum corpus magis afficit, unde puerile ac ineptum gaudium pro vehementi.

III. Corporis ſtatus.

§. XXXVII.

Neutiquam eiusdem momenti eſt, quis ſit corporis ſtatus, dum a pathemate affligitur. Quisque enim huius vim vel debilitat, vel auget, modificat ſaltem et dirigit, eique aut ſuccumbit, aut reſiſtit. Quantum varius corporis ſtatus in pathema ipſum valeat, mei non eſt multis oſtendere, magis, varios pro vario corporis ſtatu in idem pathematis eſſe effectus. Contemplandum ideo cenſeo corporis *ſtatum internum* et a rebus externis pendentem, quem *externum* nominamus.

A. Internus corporis ſtatus.

Differt ratione 1. *conſtitutionis* 2. *aetatis* 3. *ſexus* 4. *valetudinis.*

§. XXXVII.

1) *Constitutio s. temperamentum.*

Constitutionem s. temperamentum aut prodesse pathematum in corpus efficaciae, aut obesse, pervulgatum est.

Perpauca vero adhuc distincta esse et probata de temperamentorum generibus et attributis, quisque sane mecum consentiet. Nec licet ex tot singulorum constitutionibus certum et ratum aliquid ducere, ideoque et philosophorum et medicorum sententiae de temperamentis valde differunt. Hic non locus est litem tantam componendi. Quod de temperamentis comprobo systema *), paucis memorabo notasque tantummodo characteristicas scripturus generum et specierum attributa, singulis verbis expressa, adiiciam. Exempla pauca de gaudio sumta adducam, quia singula stadia per omnes temperamentorum species ducere, arctius plagularum et temporis impedit spatium.

Temperamentorum genera.

§. XXXIX.

I. *Temperamentum atticum s. spirituale.*

Characteres eius sunt

Sensus subtilis, vividus, spiritualis.

Corporis fibra tenera, non laxa, nulloque negotio violabilis, sensibilitas acuta, irritabilitas moderata, humores mites, solidorum agilitas.

Species

*) Platner Aphor. T. II.

Species ſunt

1. *Temperamentum aetherium.*

Senſus — delectatio vivida (lautes Ergötzen).

Corporis vigor, valetudo cum teneritate quadam fibrarum coniuncta, humorum omnium lenitas et lenis circuitus, pulſus celer, fortis, aequalis, non adeo magnus.

Altior gaudii, praecipue oblectationis, gradus, maiores quidem edit effectus, eosque raro pro virium omnium proportione noxios. Qui ſi quando eveniunt, a ſtatu nimis irritato pendent (§. VIII.).

2. *Temperamentum melancholicum.*

Senſus — ſumma profundaque voluptas (ſtilles Entzücken.)

Corporis debilitas, valetudo infirma, ſpiſſiorum humorum et tenacium circuitus difficilis.

Pulſus tardus, mollis, concitatus.

Oblectatio huic minus nocet, quam ſtupor.

§. XL.

II. *Temperamentum lydium* ſ. *animale*, attico oppoſitum.

Senſus animalis.

Corporis fibra denſa, valida, valetudo firma, humores multi et denſi.

Species ſunt

1. *Temperamentum ſanguineum.*

Senſus — priori genere minus vividus, ſubtilis et fugax.

Corporis fibra firma, modice denſa et tenera, humorum levium, at multorum circuitus levis, ſenſibilitas, irritabilitas et agilitas aucta, ſed haud diu durans.

Pulſus, celer, concitatus, magnus, durus.

Temperamento huic oblectatio facile infert convulſiones, haemorrhagias etc.

2. *Temperamentum boeoticum* (ſ. *quadratum*, *ruſticum*).

Senſus craſſus, rudis, frigidus.

Corporis fibra rigida, corpus quadratum, humorum crudorum copia et praegravatus circuitus, ſenſibilitas, irritabilitas et agilitas ſuppreſſa.

Pulſus tardus, magnus, durus, fortis.

Gaudii quodvis ſtadium temperamentum hoc vehementer afficere et mutare nequit.

§. XLI.

III. *Temperamentum romanum* ſ. *heroicum* (medium inter atticum et lydium).

Senſus ſpiritualis et animalis, vehemens, firmus et pertinax.

Corporis robur, vigor, valetudo et fibra firma, ſanguis ardens.

Species

Species ſunt

1. *Temperamentum cholericum.*

Senſus vehemens, vividus.

Corporis fibra firma, nec craſſa, robur nec muſſa ingens, ſenſibilitate maior irritabilitas, ſanguinis ardentis copia et circuitus vehemens.

Pulſus celer, fortis, durus, concitatus.

Temperamentum hoc ab omni pathemate, in ſpecie a gaudio, maximos patitur effectus. Stupor (§. V) huic ſalubrior eſt, quam oblectatio, quae facillime morbos inducit varios ab irritatione pendentes.

2. *Temperamentum virile.*

Senſus moderatus.

Corporis fibra firma, vigor modicus, ſanguinis calidi, nec facile efferveſcentis circuitus temperatus, ſenſibilitas et irritabilitas modica.

Pulſus quaqua ratione modicus.

Pathematum omnium effectus moderati.

§. XLII.

IV. *Temperamentnm phrygium.*

Mentis et corporis vigore expers.

Senſus et ſpiritualis, et animalis debilis.

Corporis fibra laxa, infirma, humorum mala conditio.

Species

Species ſunt

1. *Temperamentum phlegmaticum.*

Senſus tardus.

Corporis fibra laxa, maſſae copia, humorum pituitoſorum ſpiſſorumque tardus circuitus, ſenſibilitas et irritabilitas debilitata, atonia.

Pulſus tardus, debilis, magnus, mollis.

Minimos temperamentum hoc admittit pathematum effectus, nec ſalubres, nec noxios.

2. *Temperamentum hecticum* (hypochondriacum, hyſtericum).

Senſus plerumque ingratus, ſubitus,

Corporis fibra laxa, irritabilitatis omniumque partium debilitas, ſenſibilitas aucta, humores acres, vel ſpiſſi, vel reſoluti, ſpasmi tonici, atonia.

Pulſus celer, concitatus (ſpaſticus), debilis, parvus.

Pathematum omnium effectus pro variis cauſis praediſponentibus maxime varii, ſibique contradictorii.

§. XLIII.

Pluribus forſitan numerus temperamentorum iam nimis amplificata videbitur, attamen ſi liceret mihi copioſo eſſe in hac re maxime ardua, plures ſane formarem ſpecies. Sed, cum meum non eſt, de temperamentis ipſis agere, pro ſcopo meo his contentus ſum, adnotando duntaxat, minime huc temperamentorum complicatio-

cationem referri poſſe, neque explicari, quomodo quodvis illorum aetate, ſexu, morbis, rebus ita dictis non naturalibus, aliisque innumerabilibus mutetur.

2) *Aetas.*

Huius ut abſunt varia ſtadia, ita et variae cuiusque notae.

§. XLIV.

a. *Aetas puerilis.*

Fibra mollis, laxa, ſenſus et irritationis facilis, nec perdurans impreſſio, nervorum agilitas, humorum levium circuitus acceleratus, pulſus celer, ſanguinis ad caput congeſtio etc. — in genere complicatum temperamentum ex aetherio et ſanguineo.

Gaudium in aetate iſthac vehemens et breve, ſtuporis effectus in genere benigni, ſtadiorum poſteriorum vehementes et plerumque noxii convulſionibus, haemorrhagiis, praecipue narium etc.

§. XLV.

b. *Aetas adoleſcentiae.*

Fibra tenera, ſenſibilitas acuta, mobilitas aucta, humorum copia et impetus, pulſus plenus, fortis, celer, temperamentum aetherico - cholericum.

Gaudii in adoleſcentibus effectus maxime excellunt et vivacitatis et roboris, et ſalutis, et damni reſpectu.

Stadium *pubertatis* cum corporis inducit mutationes quasdam inordinatas, et ſenſibilitatem, et irritabilitatem auctam, omnino gaudii effectus inordinatos auctosque reddat neceſſe eſt.

§. XLVI.

c. *Aetas virilis.* vid. Temperamentum virile (§. XLI.)

§. XLVII.

d. *Aetas ſenilis.*

Fibra denſa, rigida, ſenſibilitas obtuſa, irritabilitas ſuppreſſa, humorum acrium et pravorum circuitus retardatus, pulſus parvus, tardus, durus.

Temperamento aetas haec boeotico ſimilis eſt.

Mutationes corporis a gaudio prolatae propter imminutam ſenum ſenſibilitatem haud eſſent notatu dignae, niſi gaudii robur in ſenibus ſaepius, ut in pueris, excelleret, et qua irritamentum ingens, inſignem corpori inferret utilitatem aut damnum.

3. *Sexus.*

§. XLVIII.

Sexus potior, quatenus oppoſitus eſt ſequiori, fibra firmiore gaudet atque denſiore, ſenſibilitate minore et craſſiore, irritabilitate tardiore, ſed vehementiori, humoribus magis denſis et acribus. Conf. *Temp. virile.*

§. XLIX.

Sexus ſequioris, ſi potiori opponitur, fibra eſt tenera, laxa, mollis, ſenſibilitas acuta, repentina, ſumma nervorum agilitas et mobilitas, humorum mitium, tenuium et plurium circuitus acceleratus, pulſus mollis et celer, et quoad vaſa, magnus.

Temperamentum aetherico-hecticum.

Maximi vero momenti *functiones* foeminarum ſunt *ſexuales.*

De ſtadio *pubertatis* §. XLV. agit.

Men-

Mensium fluxum pro cuiusque individui indole mutationes quaedam comitantur inordinatae. Itaque gaudium e. g. menstruantibus vel noxium est, vel salubre, prout stupor aut oblectatio maior invenitur. Ille menstrua supprimit, nimiaque retinet, haec suppressa provocat, aut iam fluentia in haemorrhagiam uteri mutat.

Graviditatis incommoda his non dilucidanda sunt, ea vero varia esse et a gaudio modificari, pervulgatum est.

Oblectatio, e. g. vehemens, humorum circuitum augendo, et stupor ingens sanguinem spasmo peripherico ad intus pellendo abortum procreare, aut foetui valde debilitato irritando vitam servare potest.

Puerperarum status infirmus, lochiorum profluvium, lactis secretio et excretio et partus effectus summi ponderis reperiuntur.

Gaudio e. g. lochia et lactis secretionem et excretionem sisti, eorum metastasin periculosam fieri posse, quisque concedit.

Mensium denique in *aetate provectiori suppressio* plurimum valet in determinando gaudii effectu, quod aut stupore excellens iusto citius suppressionem eidemque morbos adiunctos producat, aut oblectatione celerius corpus prolongato fluxu debilitet, et damnum eidem inferat.

4. *Valetudo.*

§. I.

Valetudo integra aut infirma corpus ad certa sibique correspondentia propensum reddit ex pathematibus oriunda phaenomena. Status validus pro constitutione firma

ma (ſit caeterum quae ſit) pro aetate etc. pathemata in corpus operari ſinit, morboſus vero pro fractis vel auctis viribus, pro laeſis functionibus, morbique cauſis et ſymptomatibus pathematum excipit efficaciam, eamque modificat.

Pathologia generalis et ſpecialis in definiendis pathematum, qua cauſarum praediſponentium et occaſionalium, viribus, ſymptomatibus etc. inquirenda eſt. Unum ex multis mihi adferre liceat exemplum. Idem oblectationis gradus in haemoptyſi mortem advocare poteſt, qui menſium ſuppreſſorum benignum procreare ſolet fluorem, aut ſalutarem in febribus acutis criſin etc.

B. *Externus corporis ſtatus* ſ. *a rebus externis pendens.*

§. LI.

Quaevis res externa corpus humanum mutans etiam pathematum modificat vim et effectus. Praecipuas modo enumerabimus, quas in 1. *diaeta* 2. *climate* et 3. *vitae genere* ponimus.

§. LII.

1. *Diaeta.*

Ex rebus ſic dictis non naturalibus, circa quas diaetetices praecepta verſantur, ingeſta et corporis motum eligo, quia nobiliori influxu gaudent.

§. LIII.

Ingeſta ſunt vel nutrientia, vel medicamenta, communis amborum quantitas et qualitas contemplatione digniſſima. Nutrientium copia inteſtinis inhaerente (ſ.

nimia

nimia repletione) digeſtionis organa debilitata, ſtuporis e. g. acceſſu penitus laedi poſſunt.

Ratione qualitatis cibi et medicamenta variis gaudent attributis, nos ad illorum tantum reſpiciamus vim excitantem et ſtupefacientem, et quisque illorum ſalutem aut damnum in laetantis valetudinem intelliget.

Exemplum nobis praebeat opii uſus nimius, quo cum vim nervorum debilitatam afficit ſtupor gaudii vehemens, parum abeſt, quin paralyſis aut mors ipſa eveniat.

§. LIV.

Corporis *motu* vires vitales auctae et excitatae gaudii variis ſtadiis in ſalutem aut detrimentum corporis diriguntur pro vario eiusdem habitu. e. g. In menſtruante et haemoptoico motu ortus orgasmus, et oblectationis impetu auctus haemorrhagiae periculoſae haud difficulter accuſandus eſt.

§. LV.

2. *Clima et conſtitutio anni.*

Haec corpus ad morbos quosdam propenſum reddere, nemo ignorat. Morbus igitur endemicus aut epidemicus inde ortus, ſi ad gaudii effectus quadrat, vel promoveri et augeri, vel ſi repugnat illis, amoveri aut ſupprimi poteſt.

Sic corpus ſub aere humido et calido relaxatum a gaudii ſtupore damnum, ab oblectatione auxilium ſperare poteſt.

§. LIV.

3. *Vitae genus.*

Hoc effectuum ex pathematibus varias admittit modificationes. Eruditi e. g. cum ſaepius morbis a congeſtione humorum ad cerebrum et a vita ſedentaria laborant, ex oblectationis vehementia et per eandem citatum humorum circuitum maius capiunt morborum illius generis (e. g. vertiginis, apoplexiae, haemorrhoidum) augmentum. Buccinatores haemoptyſin timeant etc.

§. LVII.

Per ſe patet, *rerum* omnium (Sect. I. et II.) enumeratarum ſemper variam, maximeque diverſam eſſe *complicationem*, pathematum ideo, et in ſpecie gaudii, effectus eſſe varios ſaepiusque diverſos, et medicos, et morbificos. Plurium rerum homogenearum concurſus pathematum effectus auget et accelerat, heterogenearum vero complicatio eosdem moderatur, debilitat aut tollit. Pro quovis ergo individuo ſpecialis et individua diagnoſis, prognoſis et indicatio curationis formanda eſt.